



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Labores, & occupationes. cap. 5.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

Teſticam, ſi vehiculum Præſuli adhibendum eſſet, ob decorum; & legendi commoditatem, in primis probauit: ipſeque poſtremo tempore tum hoſpitem in vrbe, tum ſui, ſuorumque commodo in itinere adhibuit.

Morbos, & dolores corporis vt tolerauerit.

CAP. I V.

Præſcripta medicorum, cum ijs ſe ſe curandum tradiderat, ita ſeruauit; vt nihil præter eorum iuſſum, vel quod vehementer expeteret, quamuis minimū, reciperet; vel quod maxime horreret, recuſaret vñquam. ſed quæ in eo genere ferenda eſſent, ea prompto animo ad exercitacionem aſterioris vitæ referebat. cūque ſæpe moroſitas quædam, atque ſalutiduum ſoleat ægrotis, etiam religioſis condonari; non erat in eo quod ferretur ægrotante, magis quàm in valente. quin etiam dicere ſolebat, in cuiuſdam voluptatis loco morbum ſe habere: cum eo tempore ſemotis curis quieſcere, ſeque ipſum liberius daretur attendere. ſi quãdo medicis ægrotum alium parere nõlle cognofceret; reprehendebat; & vt faceret, grauiter hortabatur. Cum ad Dei miſericordiam peſtilentię cauſa implorandam, vna cum clero, & populo ad celebriora vrbis loca, ſeu compitaſupplicatum iret, ſantumque clauum ferret; pedem nudum clathro ferro, quo ſubterranea ſellę fenestra muniēbatur, impedit; atque vñguē maioris digiti ita ſummouit, vt tota via, quæ multa reſtābat, abunde ſanguinem funderet, neque tamen ob doloris ſenſum, qui ea parte vehemens eſſe ſolet, de inceſſu quidquam remiſit. narrat medicus; ſupplicacione demum peracta, cum accerſitus eſſet; inſpecto vulnere, tolerantiam viri ſe eſſe admiratum, cumquē dixiſſet, eſſe vñguem neceſſario abſcindendum: Carolum, qui ſibi poſt abſciſſionem neceſſario quieſcendum eſſe verēbatur; quaſi nihil moribi, doloriſque vim aſtimaret; ſibi reſpondiſſe; in aliam diem id eſſe dif-

ferendum, donec in eccleſia, quaſdam ſacrorum munerum functiones obijſſet, obligaret tunc quidem vulnus aptiori quo poterat modo. tertio die medicus vocatus, id exequi iuſſus eſt, quod ad curationem neceſſe erat. ibi vero Caroli mirificam patientiam ſe obſtupiſſe teſtatur: ei enim grandē vñguem, vulueris acerbitate recrudescēte, ita excidiſſe; vt cum ipſe in eo genere exercitatus perhorreſceret; neque corpore ille, neque voce, neque ſpiritu vñlo modo commoueri videretur. neque vero ob id diu quieuit; aut labori, vel viæ pro quotidiano eccleſiæ vñu pepercit: vt ex eo potius noui cruciatus, ac patientiæ naſceretur occaſio. nam infirmo pede lapſus, os manus loco ſuo mouit. id reponere quidam conatus, cum minime aſſecutus eſſet; medicus idem, ingraueſcente admodum dolore reſtituit, prorsus ita ſe habente Carolo; quemadmodum is loquitur; ac ſi permulſiſſet integram manum.

Incredibilem laborum tolerantiam, occupationumque infinitam prope continuationem, ſuperius attigimus: vñde facile fuerit totius agnoſcere vitæ conſuetudinem: nam alioqui actorum eius diurnum, non leui argumento conſici potuiſſet; quod audio ex eius domeſticis quosdam, pro ea temporis parte ſaltē feciſſe, qua fuerunt apud eum; motos admiratione laborum, quos ab eo quotidie ſuſtineri videbant. Eiuſmodi laborum cauſas, quibus interdum Epifcopi nonnulli carere ſibi videntur; tum admirabile ſtudium, pariēbat eſſe in eccleſiæ in omnes partes veteris diſciplinæ cogitatione conformandæ; gregiſque ad cœleſtia bona, continua progrefſione ducendū; quod quidem negotium nullis agendi terminis cōtinetur: tum vero animi Deo penitus dediti, diuina quædam inflammatio; qui nulla diligentia, nullo vñ-

Labores, & occupationes.  
CAP. V.

quam

quam labore contentus; numquam facis suo iudicio perpeffus; neq; pro infinitis tanti Domini meritis; neq; pro suis, fuorumque peccatis, sibi vi detur vniquam posse satisfacere. maxime item, vt in omnibus, S. Ambrosij exemplo mouebatur, de quo Paulinus scribit, in diuinorum munerum functione tum magnos consueuiffe labores excipere; vt quæ officia erga eos, qui saluari lauacro ablundi essent, solus obibat; ijs post eius obitum vix Episcopi sufficeret quinque. quod idem merito de Caroli laboribus dici potest. Hinc diurna, nocturnaque in meditando, scribendoque occupatio; hinc longissimæ consultationes: assiduitas respõdendi ijs, qui consulere, opemve implorare necesse haberent; diurnæ supplicationes; sacramentorum administratio, sæpe vsque ad noctem ducta; labor assiduus concionum, visitationum, aliarum rerum, quæ sexcentæ singulis horis, propeque momentis occurrerant. Cum Episcopus ad eum scribens forte significasset, sibi parum esse negotij. eam vocem, vt Episcopo prorsus indignam, & turpem, grauius ad eum litteris datis, acriter, lateque reprehendit. Cum Nouariæ Francisci Episcopi exequias celebrasset; quidam eius mortis causam dolentes, laboribus tribuebant; quibus in lustrandis suæ diocæsis ecclesijs eo anno non mediocris vigilantia sacerdos perfunctus erat. at ista ipsa, inquit Carolus, de causa, & isthuc ipsum agentem, hoc est pro ecclesia sua laborantem, Episcopum decet mortem oppetere. Dicere solebat, tantum esse Episcopo negotij, quantum ipse velit: hoc est pro eius studio, vel negligentia. item, Nulum Episcopum muneri suo posse satisfacere, si valetudini parcat: & earum rerum obseruationibus teneatur, quæ nocere corpori, prodesseve possint. Quod populi parum ad salu-

tem proficiant, maiori ex parte culpam esse Antistitum affirmabat; qui non assidue curant, atque vrgent eorum progressiones.

Qui corpus tam dure habuerit, nullum quoque penitus cultum adhibuisse, vel nobis tacentibus, licet conijcere; nisi quatenus munditiæ, vel dignitatis causa necesse putaret. Nullum sericum adhibuit indumentum: sed eius generis tamen, quæ personæ cõuenirent. posteriorem tunicæ partem, quam solent sacri Præsules magis demissam humi trahere, libenter æqualem reliquæ recipiebat. vestimentis, omnibus quidem diutius utebatur, ac tritis; sed quæ in conspectu non erant, in primis refarciri non semel iubebat. Opera suorum exuendi, vestiendive corporis causa fere non utebatur; idque sæpe ob alienum, & incommodum ijs cubandi, surgendive tempus. eorum vero, qui sacris essent initiati, nihil ad corpus suum obsequij paulò vilioris admittebat. episcopali veste linea, humerorumque amictu etiam domi semper indutus erat, ad personæ dignitatem seruandam. nam & domicilium suum, locum publicum ducebat; suosque ibi volebat, vt in publico, versari. Itaque mane antequam ea indumenta sumpsisset, neque in exterorum conspectum veniebat; & neminem nisi intimum patiebatur intromitti. Ac quoniam ab oratione, & sacræ aquæ aspersione diei antecedentis, vsque ad Missæ sacrum postero die factum, nihil, quantum fieri posset, ob rei diuinæ reuerentiam loquebatur: publicum vestitum differebat, donec ad sacrum prodire vellet. ibi cubiculo vero priuatim pullam quadam, & rudi veste utebatur; quam suam appellabat; cum personæ suæ reliquas esse diceret. Exquisitam adhibebat in omnibus ecclesiastici decori seruandam. in ipsis caligis, & calceamentis; ac in omni vestitus parte; tum in  
omni

Vite cultus,  
CAP. VI